



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et  
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs  
Theologicvm, iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1664**

Quæst. 3. Vtrùm Deus aliquibus extremis à se distinctis oppositus sit. Et  
qua ratione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76990)

## Disp. IV. De independentiâ Dei in essendo, &c. Quæst. III. 103

esset necessarius in existendo, atque adeo quiditas eius, & consequenter eius existentia deficeret, ut est notissimum. Respondeo, Deum intrinsecè connecti cum impossibilitate suæ negationis, ut pote quæ aliud non est re ipsâ à suâ intrinsecâ necessitate, ut dicebamus disp. 3. n. 23. non verò connecti intrinsecè cum eâ veritate. *Negatio Dei est impossibilis*: quia hæc completur tam distam impossibilitatem indistinctam à Deo, tum negationem distinctam, quæ ratione negatio, & ens negatum inter se ut non ens, & ens distinguuntur. Vnde casu, quod ea veritas complexa deficeret defectu partis à Deo indistinctæ, nihil mirum, quod quiditas, & existentia Dei deficerent. Secus tamen foret, casu quod ea veritas deficeret defectu partis à Deo distinctæ, deficiente scilicet negatione Dei quoad suam quasi quiditatem; (veram enim quiditatem non habent negationes, vt sæpe noctuimus), ita videlicet, ut ea non esset negatio, siue remotio Dei. Ex quibus patet, solum probari argumento facto, Deum cum impossibilitate suæ negationis à suâ necessitate indistinctâ connexum intrinsecè esse, non item cum integrâ veritate prædictâ à Deo distinctâ suo modo tanquam includens ab inclusio. Quæ firma, & stabilis manet doctrina nostra in superioribus statuta.

### QVAESTIO III.

*Verum Deus aliquibus extremis à se distinctis oppositus sit. Et qua ratione.*

87 **I**ngimus questionem hanc præcedenti; eo quod oppositio contraria connexioni est, & quamdam secum fert connexionem, qua quodvis ex extremis oppositis cum alterius contradictorio connexum est. Opposita autem uniuersè eorum extrema dicuntur, quorum vnum simul cum altero esse non potest. Vnde oppositio extremorum necessariò est mutua, & cuius eorum semiextrinseca. Omnisque ad contradictoriam inter ens, & suam negationem repertam, & ad contrariam repertam inter quolibet alia extrema reducenda venit. Et contradictoria quidem semper; contraria verò sæpe est metaphysicæ omnem omnino excludens potentiam, qua simul esse possint extrema opposita. De qua solum in præsentibus habentibus est sermo, suppositis his imprimis, & alijs pluribus latius ad rem expostis, & demonstratis in Pharo Scienc. disput. 1. 2. quæst. 3. & 4. Nec non ijs omnibus, quæ de statibus entium in eadem Pharo Scienc. disput. 10. tradita sunt.

88 **P**ræterquæ suppono primò vt prorsus certum, Deum nulli earum veritatum, cum quibus de facto coniungitur, ad quemcunque statum illa pertineant oppositum esse: quia extrema opposita coniungi de facto non possunt; cum sit necesse deesse vnum, quando alterum adest. Vnde constat primò, Deum neque possibilitati possibilium, neque impossibilitati in possibilium, neque cæteris veritatibus ad ea vtraque pertinentibus intra statum quiditatum absolutum, & conditionatum, intra statumque existentialem conditionatum oppositum esse. Secundo constat, neque esse oppositum existentie absolutæ

quorumuis entium, aut negationum absolute existentium, neque viliis veritatibus ad ea vtraque spectantibus intra statum existentialem absolutum. In summa, Deus nulli obiecto vero potest esse oppositus quoad illud esse, secundum quod de facto est verum; vnde relinquitur, quod solum possit esse oppositus obiectis non veris, quoad illud esse, secundum quod de facto non sunt vera.

89 **S**uppono secundo etiam vt certum, Deum nulli enti, nullique negationi entis possibili posse esse oppositum quoad existentiam absolutam: quia omne ens, omnisque negatio, cuius existentia absoluta est Deus oppositus, eo ipso est chymara impossibilis: quia nequit absolute existere aut cum Deo, cum ipse opponatur, aut sine Deo, cum ipse nequeat deficere; & alius modus non est absolute existendi. Vnde relinquitur, solis chymaris impossibilibus seu positivis, seu negativis posse Deum oppositum esse quoad existentiam absolutam.

90 **S**uppono tertio etiam vt certum, Deum nulli puræ negationi entis esse oppositum quoad absolutam existentiam; præterquam vnice negationi chymaricæ sui. Quia, præter hanc, nulla pura negatio entis est chymara impossibilis; si quidem omnis fuit absolute existens (quæ ratione negationes existere dici possunt) ab æterno, & per totum conspici, in quo, præter vnum Deum, nullum absolute existit ens positivum, vt docet fides. Dico autem puræ: quia inmixtio ex negatione, & ente postiuo bene poterit esse chymaricæ. Et quidem, si alieni puræ negationi entis à se distincti esset Deus oppositus quoad existentiam absolutam, talis negatio necessariò deficeret per existentiam absolutam entis sibi contradictorij, vt constat. Aliquodque subinde ens positivum à Deo distinctum necessariò existeret absolute. Quod est absurdum contra rationem, & contra fidem. Porro negationi chymaricæ sui oppositione contradictoriâ opponitur Deus, ipsique soli opponitur contradictoriè: quia vnus entis vna solum negatio, atque adeo vnum solum extremum contradictoriè oppositum datur, vt constat ex doctrinâ traditâ in Pharo Scienc. disput. 9. quæst. 3. Quidquid in oppositum dicant nonnulli Recentiores.

91 **S**uppono quarto etiam vt certum, Ijs omnibus chymaris impossibilibus esse Deum oppositum quoad absolutam existentiam, quæ ex suo quiditativò conceptu imperfectiones sunt ipsius Dei vel morales, vel physice. Quia Deus ab omni propria imperfectione ita omnimodis necessariò est immunis, vt neque per earum aliquam infici, siue imperfectus reddi; neque cum earum aliqua compati, seu coexistere possit. Quod ipsum est, esse Deum oppositum illius absolute existentie. Hoc titulo opponitur Deus alteri Deo chymarico, peccato proprio, productioni sui ab alio ente, comprehensioni creatæ sui, cuius propriæ mutationi, & cæteris huiusmodi imperfectionibus. Quarum nulla potest esse pura negatio entis distincti à Deo, iuxta doctrinam stabilitam suppositione præcedente. Vnde patet omnem imperfectionem Dei excogitabilem puræ negationem alicuius attributi intrinseci Deo debere, necessariò esse, atque ita in vnice negationem chymaricam ipsius Dei debere quoque necessariò re ipsâ recidere.

His

92 His omnibus tanquam certis suppositis, examinandum superest primò. An Deus omnibus chymæis impossibilibus oppositus sit quo ad existentiam absolutam, Recentiores quidam, cum quibus egimus quæst. præcedent. affirmant: sed falso subnixi fundamento. Quia videlicet, si Deus coexisteret duobus extremis contrariis, quæ secum fert necessariò omnis chymæra, sequitur, vt ipsi putant, Deum à se ipso distinguere, quod tamen ei repugnat. Verùm id nullatenus sequi ibi ostensum est contra ipsos n.63. Secundò superest examinandum, An Deus, vel omnibus, vel aliquibus chymæis oppositus sit quo ad earum quiditatem, seu absolutam, seu conditionatam, aut quoad earum existentiam, conditionatam.

## Propositio 1.

93 Existimo, Deum non omnibus chymæis esse oppositum suapte naturà quoad existentiam absolutam.

Quia multæ sunt, quibus Deus, quatenus est ex parte suâ, bene posset coexistere, si aliunde illis non repugnaret existentia absoluta, Tales enim imprimis sunt omnia coniuncta extremorum inuicem sibi contradicentium, quorum positium est creatura possibilis, v. g. coniunctum ex Petro, & ex sua negatione. Quia nihil cernitur ex parte Dei, propter quod ipse sit impotens ab intrinseco ad coexistendum hisce coniunctis, si aliunde non esset eis impossibilis existentia absoluta; siquidem extremorum contradictionis, ex quibus vnumquodque constat, cuilibet seorsim, ab altero potest Deus coexistere; & ex eo quòd ambobus simul coexisteret casu, quòd existerent ambo simul, nulla noua videtur ex parte Dei repugnantia sequi, præter eam, quam ipsa extrema inter se habent, & secum ferunt. Deinde tales etiam esse videntur omnes aliæ chymææ, quæ ex vnâ parte aliunde, quam ex coniunctione cum Deo, habent esse impossibiles, ex aliâ verò nullam ex suo conceptu præferunt, aut inferunt, siue supponunt imperfectionem Dei. Quales haud dubiè sunt vnio extremorum inuicibilium, coniunctio extremorum metaphysicè contrariorum, & vniuersim omnis actus, ad quem est intrinsece impotens subiectum eius, vt cognitio oriunda à lapide, frige factio oriunda ab igne, receptio formæ in materia penitus incapaci, &c. Etenim, vt constat ex doctrinâ traditâ quæst. præced. Deus virtutem habet absolutam, quantum est ex se, caulatiuam omnium chymæarum impossibilium, quæ causatæ nullam ipsi ex conceptu suo imperfectionem appingerent, pro casu, quòd illæ essent possibiles, atque adeò causabiles: talis autem virtus stare non potest; quin Deus sit itidem, quantum est ex se, potens ad coexistendum eisdem chymæis pro casu, quòd illæ absolute existerent. Quod ipsum est, Deum naturâ suâ nullatenus oppositum esse dictis chymæis quoad existentiam absolutam.

94 Et quidem, secluso titulo alicuius imperfectionis propriæ à consortio chymææ oriundæ, nullus alius videtur excogitabilis, cur Deus chymææ suapte naturâ sit oppositus quoad existentiam absolutam. Vbi ergo nulla talis imperfectio ex coexistentiâ Dei cum chymæâ apparuerit, nulla talis Dei oppositio cum chymæâ asserenda est. Nec refert, extremum nullam diui-

nam imperfectionem inferens, in se, aut comparatione creaturæ quantumuis imperfectum, aut malum esse, quominus Deus de suo possit cum eo coniungi, eique subinde quoad existentiam absolutam non sit oppositus suâ naturâ: siquidem nihil imperfectius, & peius est, quam peccata, creaturarum grauissima; cum quibus nihilominus Deus de facto coniungitur, & eis coexistit; imò & ad actiones physicas eorum iuuando creaturas ipsas concurrat. Quidni ergo cuius chymææ nullam sibi imperfectionem propriam adferenti poterit de suo citra oppositionem coexistere; quantumuis ea sit aliàs imperfecta, & mala in se.

## Propositio 2.

Deus nulli chymææ est verè formaliter oppositus quoad quiditatem eius factam aut absolutam, aut conditionatam. Equiuallenter verò ijs tantum censetur opponi, quæ sibi imperfectionem aliquam appingunt quoquo modo.

Loquor de quiditate chymææ factæ. Nam verè quiditati chymææ Deum non esse oppositum, siquidem de facto cum ea coniungitur, tanquam profus certum statuissemus suppositione prima. Suppono autem pro intelligentia & probatione propositionis ex doctrinâ vniuersali traditâ in Pharo Scient. disp. 10. quæst. 4. & disp. 11. quæst. 2. duplex esse genus chymæarum alterum earum, quæ tam à cognoscentibus per species proprias, quam à cognoscentibus per alienas conceptibiles sunt; alterum earum, quæ tantum à cognoscentibus per species alienas sunt conceptibiles. Et priores quidem veras quiditates habere intra statum quiditatum tam conditionatarum, quam absolutarum. Posteriores verò non item; sed profus esse fictitias sumptas formaliter; tamen per quamdam æquiuallentiam sæpe veritatem præferant assumptam ab alijs obiectis aut possibilibus, aut impossibilibus veram quiditatem habentibus, quibus æquiuallent, vel quæ supponunt. Omnis autem fictio quiditatis tandem reducitur ad identitatem fictitiarum extremorum in se distinctorum, aut ad distinctionem fictitiarum extremorum in se identificatorum. Recognoscatur hæc doctrina latius exposita locis citatis. Ex qua colligitur imprimis, præsentem propositionem solum posse locum habere in chymæis secundi generis.

Deinde probatur quoad primam partem. 96 Quia oppositio formalis, & vera extremorum positiuorum (de qua in præsentem sermo est) solum potest inueniri inter extrema habentia quiditatem veram, vt constat; alioquin non esset vera oppositio; siquidem aliud non est oppositio ab ipsis extremis oppositis, Vnde vera oppositio extremorum quoad eorum quiditatem esse non potest, sed tantum quoad eorum existentiam: quia non possunt illa quoad quiditatem esse incompatibilia; cum non possint non esse ambo simul id, quod de suo quiditatiuè sunt. Liquer igitur, Deum nulli chymææ esse verè, & formaliter oppositum quoad eius factam quiditatem. Quæ est prima pars propositionis.

97 Secunda autem pars per exempla ostendenda est. Quia identitas ficta, qua à nobis Deus concipi potest identificatus cum lapide, & distinctio ficta, qua à nobis concipi potest essentia diuina distinct-

distincta à suis intrinsicis attributis, imperfectiones præ se ferunt alienas à Deo. Iure ergo per quamdam æquivalentiam censendus est Deus illis oppositus quoad earum ficticiam quiditatem. Qualiter non est censendus opponi identitati fictitiæ hominis cum equo, & distinctiõni fictitiæ rationalitatis à risibilitate; quia istæ fictitiæ quiditates nullam Dei imperfectionem præ se ferunt; nec alius adest titulus, cur Deus illis oppositus sit censendus iuxta dicta propositi. 1.

Propositio 3.

98 Deus illis chymæris est oppositus naturâ suâ quoad earum existentiam conditionatam, quæ prout conditione existentes aliquam Deo imperfectionem adferrent. Cæteris vero secus.

Quia Deus omni propriæ imperfectioni est oppositus naturâ suâ. Cæteris autem quibusvis extremis nullam sibi imperfectionem adferentibus de suo oppositus non est, ut constat ex doctrinâ statutâ propositi. 1. Sic Deus huic obiecto conditionato suâ naturâ oppositus est, *Si Deus mihi promitteret divitias, non flaret promissis.* Fallumque subinde illud est, & chymæricum ab oppositione, quam Deus habet cum existentia conditionatâ eius, utpote inferente magnam imperfectionem ipsius. Huic verò obiecto Deus non est suâ naturâ oppositus, *Si frigus existeret, calefaceret.* Quia, licet illud falsum sit, & chymæricum ab oppositione, quam frigus habet cum productione caloris à se ipso oriundâ, eius tamen conditionata existentia casu, quod daretur, nullam imperfectionem Dei secum ferret. Et in cæteris pariter.

99 Quomodo autem cum negationibus earum chymærarum, quibus Deus aliquo ex prædictis modis oppositus est, non sit Deus connexus connectione prorsus intrinsicâ; sed tantum semiextrinsecâ, Proindeque ex eiusmodi oppositione nulla arguatur in Deo intrinsicæ connexio cum aliquo distincto à se, quæst. præced. circa finem expostum est.

QVÆSTIO IV.

*Vivum cætera cuncta distincta Deo, aut eorum aliqua intrinsicè sunt connexa cum ipso quoad suam aut extrinsecam, aut quiditativam existentiam. Et qua ratione.*

100 Quæstio hæc correlativa est secundæ. Ob id eam adiungo.

Propositio 1.

101 Omnis creatura possibilis quoad existentiam absolutam intrinsicè est connexa cum Deo.

Propositio est certè apud omnes. Probatur primò: quia nulla creatura potest existere sine Deo dante illi existentiam tum immediatè aut per se solùm, aut simul tum causâ creatâ, tum etiam mediatè, quando creatura fit à causâ crea-

tâ, quatenus à Deo ut primâ causâ omnis aliâ causa procedit proximè, vel remotè. Secundò: quia ex hypothesi, quòd Deus deficeret, manifestè nulla creatura absolutè existeret; nam sine Deo, ut dictum est, existere nequit. Quòd ipsum est, omnem creaturam intrinsicè connecti cum Deo quoad existentiam absolutam. Quomodo autem ratione huius connexionis ex creaturis existentibus veniat Deus cognoscendus tantum ut vnus, non verò ut trinus; tamen si connexio sit cum Deo, prout est à parte rei; alterius est considerationis. De qua suo loco.

Modò ex propositionis doctrinâ inferitur, multò potiori iure esse intrinsicè cum Deo connexum quoad existentiam absolutam omnem actum cognitionis, atque volitionis divinæ prout denominantem Deum aut cognoscentem, aut volentem; in quocunque demum consistat talis denominatio. De quo nullum est dubium.

Propositio 2.

103 Omnis creatura possibilis etiam quoad quiditatem est cum Deo connexa intrinsicè.

Hæc propositio conformis est communi Theologorum, ac Philosophorum consensui. Ei tamen se se opponunt Recentiores quidam, putantes, creaturas possibles quoad possibilitatem non intrinsicè, sed semiextrinsecè dumtaxat connecti cum Deo. Philosophantur namque de possibilitate creaturarum, ut nos de Dei potentiâ ad eas cauendas quæst. 2. philosophati sumus. Atque ita dicunt, uti Deus à quiditate creaturæ prout immuni à contradictione semiextrinsecè denominatur potens eam causare, ita ipsam creaturam à Deo prout habente virtutem ipsius causatiuam semiextrinsecè denominari possibilem, seu potentem existere. Unde inferunt, sicut Deus à quiditate creaturæ absolutus est, ita quiditatem creaturæ à Deo ipso absolutam esse. Cæterum illatio hæc bona non est, dato quod antecedens sit verum; de quo postmodum. Quia bene stare potest, denominationem possibilis in creatura semiextrinsecè desumi à Deo, & nihilominus quiditatem creaturæ intrinsicè connecti cum Deo, quemadmodum connectitur creaturæ existentia; tamen si hæc semiextrinsecè à Deo denominetur ipsi dissimilis.

104 Probatur ergo propositio ex doctrinâ demonstratâ in Phæto Scient. disput. 14. quæst. 4. propositi. 17. ubi ostensum est, omnem actum, & consequenter omnem respectum, seu relationem ex suo conceptu quiditativo cum quiditate sui subiecti, & sui termini connexam esse. Quia scilicet eo ipso, quod omnis relatio ex suo conceptu quiditativo sit relatio talis subiecti ad talem terminum præ alijs; neque hoc stare possit, quin tale subiectum, talisque terminus sint id ipsum, quod de suo sunt cum distinctione ab alijs; (nam aliàs & esset relatio ad ea extrema, ut ponitur, & non ad ea; quod est chymæricum); consequens est, ut omnis relatio essentialiter exposcat, ut tale subiectum, talisque terminus id ipsum sint, quod sunt, non aliud. Quod est, quiditatem omnis relationis cum quiditate sui subiecti, & sui termini intrinsicè connexam esse;

O Cam